

V. METALLA, OXYDA ET SALES
METALLICI.

METALLA.

SYN. *Reguli metallici; metalla regulina; metalla nativa; metalla reducta.*

- | | |
|---------------|-----------------|
| 1. Argentum. | 7. Hydrargyrum. |
| 2. Arsenicum. | 8. Manganesium. |
| 3. Aurum. | 9. Plumbum. |
| 4. Bismuthum. | 10. Stannum. |
| 5. Cuprum. | 11. Stibium. |
| 6. Ferrum. | 12. Zincum. |

OXYDA METALLICA.

SYN. *Calces, croci, cineres, rubigo metallorum; vitra metallica; scorice metallorum; metalla calcinata; metalla oxydata.*

SALES METALLICI.

Sales ex acido et metallo; aut ex acido, alcali et metallo; aut ex ammoniaca et metallo compositi.

SULFURETA METALLICA.

Metalla mediante sulphure soluta et oxydata.

ARGENTUM, ejusque PRÆPARATA.

SYN. *Luna.*

Gravitas specifica ad aquam ut 11,090
ad 1,000.

SALES ARGENTI.

NITRAS ARGENTI, liquidus et crys-
tallisatus.

SYN. *Solutio argenti in acido nitrico : ar-
gentum nitratum ; crystalli lunæ.*

℞. Argenti purissimi in frustula concisi
quantum placet.

Dissolve in balneo arenæ leni calore in
Acidi nitrici quantum satis,

Ad perfectam saturationem.

Si hæc solutio ulterius evaporatur et dein
loco frigido exponitur, crystalli formantur.

VIRTUS : Corrodens ; diuretica ; drastica ;
anthelminthica ; antiseptica.

Usus *internus* : Hydrops ; vermes ; ulcera
inveterata. *Externus forma gargarismatis* :
Cynanche putrida ; ulcera oris et faucium

ex hydrargyro. — Item ad præservandas carnes et aquam in longis itineribus. In priori casu proportio ut 1 ad 500; in posteriori ut 1 ad 100,000.

DOSIS : Grana duo cum saccharo et amylo in pilulam formata. *Externe* : Pars una ad aquæ partes 1,000.

NITRAS ARGENTI fusus.

SYN. *Lapis infernalis ; causticum lunare ; argentum nitratum fusione aqua crystallisationis privatum. G. Nitrate d'argent fondu.*

R. Nitratis argenti crystallisati quantum placet.

In crucibulo argenteo aut porcellaneo amplo leni igne funde sub camino, ut noxii vapores evitentur, movendo sæpius bacillo vitreo; fugata sic aqua omni crystallisationis augeatur ignis, et massa nigra, quamprimum perfecte fusa sit, in modulum ferreum oleo illitum effundatur, et refrigerata mox vasis probe clausis usui servetur.

VIRTUS : Acris; corrosiva.

ET SALES METALLICI. 75

Usus : Pro caustico in excrescentiis aut ulceribus fungosis, callosis.

Dosis : Drachma una in unciiis decem aquæ destillatæ soluta in fistula lacrymali; aliisque ulceribus fistulosis, forma injectionis.

ARSENICUM, ejusque PRÆPARATA.

SYN. *Regulus arsenici.*

Metallum fragile.

Gravitas specifica ad aquam ut 8,310 ad 1,000.

OXYDUM ARSENICI album.

SYN. *Arsenicum calcinatum; calx arsenici alba; arsenicum album; flores arsenici. G. Oxide d'arsenic blanc.*

In officinis metallurgicis sublimatione obtinetur sub fusione aut ustulatione aliorum metallorum.

VIRTUS : Summe venenata; corrosiva : Parva dosi heroica.

Usus *internus* : Apud HINDOUS forma pi-

lularum : Elephantiasis vera s. lepra nigra, aliæque cachexiæ; ulcera desperata; morbi syphilitici rebelles; morbi ab hydrargyro producti; paralysis; febres intermittentes rebelles. — In aqua rosarum solutum : Hydrops. *Externus* : Cum oleo tritum efficax remedium præstat ad morbos quosdam cutaneos. (Vide *Asiatic Researches*.) — Carcinoma; ulcera phagadænica.

NB. Aquæ destillatæ partes 80 calore medio partem unam oxydi arsenici albi solvunt, ebullientis autem 15 sufficiunt : Sed semel solutum facilius aqua retinetur quam prima vice suscipitur, adeo ut calore medio 15 partes aquæ unam arsenici diu suspensam tenere possint.

Dosis : Grana duo cum sacchari drachma una in aquæ destillatæ libris duabus solvuntur. Hujus solutionis primo cochleare majus omni mane cum lacte datur, et gradatim bis terve de die. Eadem solutio externe qualis est adhibetur.

NB. Antidotum ejus est sulfuretum potassæ aqua solutum.

BISMUTHUM, ^{ejusque} PRÆPARATA.

SYN. *Regulus bismuthi s. wismuthi.*

Metallum fragile.

Gravitas specifica ad aquam ut 9,670
ad 1,000.

OXYDUM BISMUTHI.

SYN. *Magisterium bismuthi ; calx wismuthi ; bismuthum oxydulatum album.* Ph. B.

℞. *Bismuthi uncias duas.*

*Acidi nitrici uncias sex, vel quantum
satis ad solutionem.*

Bismuthum in frustula concisum vel grossiuscule contusum in acidum nitricum frigidum injice, donec nil amplius solvatur; solutionem cum libra dimidia aquæ destillatæ misce et cola. Liquorem colatum in vas vitreum amplum, libras circiter viginti aquæ destillatæ continens, effunde. Pulverem præcipitatum album quam optime edulcoratum in loco calido, radiis solaribus non exposito, sicca et usui serva.

78 METALLA, OXYDA,

VIRTUS : Antispasmodica; sedativa.

USUS *internus* : Cardialgia spasmodica.

NB. Tentari meretur in asthmate spasmodico, pertussi etc.

DOSIS : Granum unum — duo — duodecim ter quaterve de die, gradatim ascendendo ad drachmam in haustu aquæ vel syrupi.

CUPRUM, ejusque PRÆPARATA.

SYN. *Venus.*

Gravitas specifica ad aquam ut 8,843 ad 1,000.

LIMATURA CUPRI.

USUS : In hydrophobia mox initio morbi adhibitum ad grana tria — quatuor cum pane butyrato per triduum. COTHENIUS.

A. OXYDA CUPRI.

OXYDUM CUPRI.

SYN. *Calx cupri viridis; cuprum calcinatum.*

℞. Sulfatis cupri quantum placet.

ET SALES METALLICI. 79

Solve in

Aquæ destillatæ quantum opus.

Solutioni instilla

Carbonatis potassæ liquidi quantum satis.

Pulverem præcipitatum aqua destillata
probe edulcoratum sicca et usui serva.

USUS: Ad solutionem cupri ammoniacalem.

OXYDUM CUPRI viride acetatum.

SYN. *Ærugo*; *viride æris*; *cuprum aceto*
corrosum. G. *Oxide de cuivre vert*.

Venalis prostat.

VIRTUS: *Acida*; *corrodens*; *adstringens*.

USUS *præcipue externus*: *Ulcera putrida*,
callosa, *cancrosa*. *Internus*: *Syphilis re-*
bellis?

DOSIS: *Granum semis*—*unum de die*.

B. SALES CUPRI.

ACETAS CUPRI.

SYN. *Ærugo crystallisata*; *cuprum aceta-*
tum. BERGM. *Crystalli veneris*; *viride*
æris destillatum. G. *Acétate de cuivre*.

℞. *Oxydi cupri quantum placet*.

80 METALLA, OXYDA,

Acidi acetici quantum satis,

Ut fiat solutio, quam ad crystallisationem
sepone.

Vel:

℞. Limaturæ aut laminarum cupri quantum
placet.

Acidi acetici quantum satis.

Digere, donec cuprum solutum sit;
solutionem dein ad crystallisationem de-
pone.

Vel:

Miscendo acetatem plumbi in aqua so-
lutum cum sulfate cupri in aqua soluto. Plum-
bum sic sub forma sulfatis plumbi præ-
cipitatur et liquor supernatans decantatus
et evaporatus dat acetatem cupri.

VIRTUS et USUS: Idem ac sequentis.

SULFAS CUPRI.

SYN. *Vitriolum cupri; vitriolum cæruleum*
s. cyprinum; cuprum vitriolatum.

BERGM. *Cuprum sulphuricum.* Ph. B.

G. *Sulfate de cuivre.*

Centenarius constat acidi sulphurici par-

ET SALES METALLICI. 81

tibus triginta; cupri partibus viginti septem,
et aquæ partibus quadraginta tribus.

℞. Limaturæ vel ramentorum cupri libram
unam.

Acidi sulphurici concentrati libras tres.

Misce ut fiat solutio, quam ex retorta
vitrea ad siccitatem destilla. Massam in
fundo retortæ remanentem aqua fervida so-
lutam filtra; dein evapora et ad crystalli-
sandum sepone.

VIRTUS: Corrosiva; styptica; roborans.

USUS *internus* cautus: Phthisis tuberculosa
recens (scopo nauseante); hæmorrhagiæ
et blennorrhœæ rebelles; epilepsia aliique
spasmi rebelles. *Externus*: Ulcera im-
munda, fungosa; verrucæ aliæve excres-
centiæ. *Forma lotionis vel injectionis*:
Blennorrhœa.

DOSIS: Granum semis—unum de die.

SULFAS CUPRI ammoniacalis.

SYN. *Sulfas ammoniacæ cupratus; cuprum
ammoniacatum; ammoniuretum cupri*

℞. Sulfatis cu pri pulv. unciam unam.

82 METALLA, OXYDA,

Ammoniacæ quantum satis,
Ut fiat solutio ; Colaturæ adde,
Alcoholis concentrati triplum ponderis
solutionis præcedentis.

Crystalli cæruleæ aciniformes separati
post aliquot horas decantato liquore in aëre
siccentur et in vase clauso usui serventur.

VIRTUS pro varia dosi : Drastica ; irritans ;
diuretica ; adstringens.

USUS *internus* : Epilepsia aliive spasmi ex
nimia irritabilitate aut debilitate orti ;
hydrops.

DOSIS : Granum semis, gradatim ascendendo
ad grana tria de die.

FERRUM, ejusque PRÆPARATA.

SYN. *Mars.*

Gravitas specifica ad aquam circiter ut
7,795 ad 1,000.

LIMATURA FERRI.

SYN. *Limatura Martis s. Chalybis.*

℞. Ferri purissimi ab omni labe cuprea
liberi quantum placet.

ET SALES METALLICI. 83

Limetur in pulverem subtilissimum.

VIRTUS : Roborans; deobstruens.

USUS : Morbi chronici a languore circulationis, vel a debilitate aut irritabilitate nimia pendentes; chlorosis; leucorrhœa; amenorrhœa; rhachitis; dyspepia; pyrosis; physconia abdominalis; icterus.

DOSIS : Grana decem ad drachmam unam bis terve de die.

A. OXYDA FERRI.

OXYDUM FERRI fuscum.

SYN. *Crocus Martis aperitivus; ferrum oxydatum fuscum. Ph. B. G. Oxide de fer brun.*

R. Sulfatis ferri quantum placet.

Solve in

Aquæ fervidæ quantum satis.

Cola et adde instillando

Carbonatis potassæ liquidi quantum opus,

Ut ferrum omne præcipitetur. Pulverem præcipitatum aqua calida probe edulcoratum sicca et usui conserva.

NB. Hoc oxydum, instar omnium alio-

84 METALLA, OXYDA,

rum oxydorum ferri, pro usu interno egregie
servire potest.

VIRTUS et USUS : Idem ac limaturæ ferri.

OXYDUM FERRI luteum.

SYN. *Rubigo s. ochra martis ; crocus martis*
adstringens ; crocus martis aperitivus.

STAHL. *Pulvis Chalybeatus.* BOURTON.

Rubigo Chalybis præparata ; calx ferri
flava ; ferrum calcinatum. G. Oxide de
fer jaune.

Vulgo venalis prostat.

OXYDUM FERRI nigrum ,

(VAUQUELIN.)

SYN. *Æthiops martialis ; calx ferri nigra.*
G. Oxide de fer noir.

κ. Limaturæ ferri subtilissime pulv. partes
duas.

Oxydi ferri rubri (quod in partibus 100,
circiter partes 45 oxygenii continet)
partem unam.

Misce intime et in crucibulo clauso igni
forti expone per horam. Massa tunc in unam
massam cohærentem unita, et pulverisata

dat oxydum ferri nigrum homogeneum optimum, cujus centenarius continet partes quindecim oxygenii.

Vel Methodo CAVEZZALI :

℞. Limaturæ ferri puri libras quindecim.

Aquæ quantum satis,

Ut fiat pasta, quam aëri aperto expone per quindecim dies, affundendo novam aquæ quantitatem prout evaporatur aut decomponitur. Quinto die massa volumine augetur et aqua decomponi incipit et sic pergit per decem aut duodecim dies. Qua periodo finita, massa sæpius lavetur et oxydum subtilissimum ab ea separetur. Residuum probe siccatum et pulverisatum denuo lavetur et oxydum ut prius separetur. Massa ab hac operatione residua cum aqua denuo in pastam redigatur, et per quindecim dies aëri exponatur, affundendo aquæ pauxillum de tempore in tempus ut in prima operatione. Massa tunc integra in oxydum ferri nigrum mutata lavetur ut antea. Quantitas oxydi ferri nigri sic obtenta libras viginti superat.

VIRTUS et USUS horum oxydorum ferri idem
ac limaturæ ferri.

OXYDUM FERRI rubrum.

SYN. *Colcothar; colcothar vitrioli; crocus
martis ex oleo sulphuris; terra vi-
trioli dulcis; ferrum ad rubedinem
calcinatum. G. Oxide de fer rouge.*

℞. Sulfatis ferri quantum placet.

In crucibulo igni forti expone, donec in
massam rubram vertatur.—Si plus oxydatum
desideras, massam sic obtentam in pulverem
tenuissimum tere et denuo iu crucibulo igni
forti per horam unam alteramve expone.

VIRTUS præcedentis, sed magis styptica,
adstringens.

USUS præcipue externus.

B. SALES FERRI.

ACETAS FERRI.

℞. Oxydi ferri fuscii vel rubri quantum placet.
Acidi acetici concentrati quantum satis.
Ut fiat solutio saturata.

MALAS FERRI.

SYN. *Extractum Martis s. ferri pomatum.*

ET SALES METALLICI. 87

℞. Limaturæ ferri libram unam.

Succi pomorum acidulorum libras quatuor.

Digere sæpius agitando per triduum; dein coque leni igne ad dimidium; cola liquorem et ad extracti consistentiam evapora.

NB. Si liquorem colatum cum anatica portione sacchari albi mixtum et ad consistentiam debitam redactum in Trohiscos formas, habes Saccharum ferratum s. *Martem saccharatum*. Ph. Ed. Infantibus præprimis gratum.

MURIAS FERRI ammonicalis.

SYN. *Murias ammoniacæ ferratus; flores martiales; flores salis ammoniaci martiales; ens martis; ens veneris Boylei; sal ammoniacum martiale; sal martis muriaticum sublimatum; ferrum ammoniacale*. Ph. L. *Ammonium muriaticum martiatum*. Ph. B.

℞. Oxydi ferri fusci vel rubri partem unam.
Muriatis ammoniacæ partes duas.

Triturando misce, addendo pauxillum
aquæ; dein igne forti ex alembico sublima.

Vel:

℞. Muriatis ferri liquidi unciam unam.

Muriatis ammoniacæ uncias quatuor.

Aquæ quantum opus,

Ut fiat solutio, quam leni igne ad sic-
citatem evapora; dein si placet, igne gra-
datim aucto sublima.

VIRTUS: Stimulans; roborans; diuretica;
deobstruens.

USUS: Dialeipyra; amenorrhœa pituitosa,
atonica; chlorosis; rhachitis; hydrops;
physconia abdominalis; asthenia generalis.

DOSIS: Grana tria — decem.

MURIAS FERRI liquidus.

SYN. *Sal martis muriaticus; lixivium mar-
tis; liquamen martis; oleum martis
per deliquium.*

℞. Limaturæ ferri quantum placet.

Acidi muriatici concentrati quantum
satis,

ET SALES METALLICI. 89

Ut fiat solutio saturata, quam ex re-
torta vitrea destilla ad siccitatem; dein
gnem augendo sublima salem, quem aëri
humido expone, ut deliquescat. Liquorem
in vasis clausis usui serva.

VIRTUS: Styptica; corrodens.

USUS: Pro præparatis et compositis variis.

SULFAS FERRI.

SYN. *Vitriolum martis s. ferri; vitriolum
viride; sal martis s. chalybis; ferrum
vitriolatum.* BERGM. *Ferrum sulphu-
ricum crystallisatum.* Ph. B. G. *Sul-
fate de fer.*

Centenarius constat acidi sulphurici par-
tibus viginti; ferri partibus viginti quinque,
et aquæ partibus quinquaginta quinque.

RINMAN.

NB. Vulgo venalis sæpe cupro et zinco
inquinatus occurrit.

℞. Acidi sulphurici concentrati uncias duo-
decim.

Misce in cucurbita vitrea caute et gra-
datim cum

90 METALLA, OXYDA,

Aquæ unciis quadraginta octo.
Dein adde successive
Limaturæ ferri puri uncias octo.
Effervescentia finita repone liquorem
per horam super arenam calidam; dein filtra
et ad crystallisandum repone. Crystalli ab
accessu aëris seclustæ usui servantur.

VIRTUS : Styptica ; roborans ; anthelmin-
thica ; emetica.

USUS : Morbi asthenici ; vermes ; hæ-
morrhœæ. *Externus* aqua solutus : Hæ-
morrhœæ ; blennorrhœæ.

DOSIS : Granum unum — octo *infantibus*.
Grana decem — viginti *adultis* in vehi-
culo , bis die.

TARTRIS FERRI CUM POTASSA.

SYN. *Tartris potassæ ferratus* ; *globuli mar-
tiales* ; *Tartarus chalybeatus* ; *Mars
solubilis* ; *ferrum potabile* ; *Mars s.
chalybs tartarisatus* ; *globulli tartari
martiati*. Ph. B.

℞. Limaturæ ferri puri (vel Oxydi ferri fusci)
libram unam.

ET SALES METALLICI. 91

Tartritis potassæ aciduli libras tres.

Simul probe mixta, aqua fervida humecta. Dein exsiccetur et pulverisetur massa repetitis vicibus (quinquies vel sexies) ut fiat solutio ferri perfecta. Demum tere massam in pulverem tenuissimum qui per cribrum trajectus usui servetur, aut pro renata, mediante alcohole, in globulos formetur.

NB. Est hic sal quadruplex, ex tartrite ferri cum tartrite potassæ juncto constans.

VIRTUS: Roborans; deobstruens.

USUS egregius *internus*: Morbi atonici; rhachitis; chlorosis; hæmorrhœa; leucorrhœa; physconia viscerum abdominalium; morbi spasmodici et verminosi.

Externus forma fôtus etc. Luxatio; distortio etc.

DOSIS: Grana quinque—decem *junioribus*; grana triginta—quadraginta *adultis* sæpius de die.

92 METALLA, OXYDA,

HYDRARGYRUM, ejusque præparata.

Metallum liquidum sub quadragesimo frigoris gradu infra zero thermom. Fahrenheit. solidescens et malleabile.

Gravitas specifica ad aquam destillatam ut 14,110 ad 1,000.

NB. Hoc metallum, vulgo venale, sæpe plumbo et quandoque etiam stanno et bismutho inquinatum seu adulteratum occurrit; hinc pro usu medico semper purificandum est.

HYDRARGYRUM purificatum.

SYN. *Hydrargyrus s. Mercurius purificatus.*

℞. Hydrargyri quantum placet.

Ex cucurbita ferrea ad medium hoc metallo repleta, et collo, seu potius tubo ferreo; longo verticaliter erecto, dein recurvato instructa, et cum vase recipiente vitreo amplo ad mediam aqua frigida repleto ita juncto ut orificium colli aquæ superficiei immersum sit, fiat ex balneo arenæ destillatio. Convenit etiam, jacturæ evitandæ causa,

ET SALES METALLICI. 93

marginem colli linteo circumdare, ut globuli hydrargyri ex tubo prodeuntes per linteum madidum in fundum aquæ cadant.

Vel:

℞. Sulfureti hydrargyri rubri partes duas.
Triturando misce cum
Oxydi ferri parte una.
Dein ex retorta vitrea sub cautellis mox indicatis fiat destillatio.

Usus pro præparatis et compositis variis.

A. OXYDA HYDRARGYRI.

OXYDUM HYDRARGYRI album,
(BRUGNATELLI.)

℞. Hydrargyri purificati libras duas.
Acidi sulphurici libras tres.
Digere in balneo arenæ, ut fiat solutio.
Dein dilue
Aquæ destillatæ libris viginti.
Liquorem limpidum decanta et pulverem luteum in fundo vasis superstitem aqua destillata probe edulcoratum et leni igne sic-

catum, sub titulo : *Sulfas hydrargyri luteus*,
usui serva.

Liquori decantato adde paulatim

Carbonatis ammoniacæ quantum opus,

Nec ultra, quamdiu pulvis albus præci-
pitatur; dein decanta liquorem, et pulverem
album in fundo vasis remanentem aqua des-
tillata probe edulcoratum et leni igne sicca-
tum, in vase clauso usui serva.

OXYDUM HYDRARGYRI nigrum.

SYN. *Æthiops per se; æthiops mercurii
simplex; mercurius præcipitatus ni-
ger; turpethum nigrum; calx mer-
curii nigra; mercurius extinctus;
Mercurius gummosus; mercurius al-
calisatus; hydrargyrum cum creta.*
Ph.L. *Mercurius solubilis.* HAHNEMAN.
Hydrargyrum oxydulatum nigrum.
Ph. B. G. *Oxide mercuriel noi-
râtre.*

℞. Hydrargyri purificati quantum placet.
In vase ferreo per plures menses, vel

ET SALES METALLICI. 95

tamdiu continuo agita, aëre sæpe renovato,
donec in pulverem griseo-nigrum mutetur.

Vel:

℞. Nitratis hydrargyri liquidi libram unam.

Aquæ destillatæ libras decem.

Instilla paulatim,

Ammoniacæ quantum satis;

Id est tamdiu nec ultra, quam præcipi-
tatum inde enatum colore nigro apparet.
Pulverem nigrum præcipitatum aqua des-
tillata probe ablutum sicca, et in vase vi-
treo clauso in loco obscuro usui serva.

Vel melius Methodo SCHULTZE.

℞. Acidi nitrici concentrati partem unam.

Immitte in vas vitreum longo collo ins-
tructum et adjice

Aquæ destillatæ partes quatuor.

Mixtis adde,

Hydrargyri partes quatuor.

Expone in balneo arenæ caloris gradui
th. Fahr. 120-140 (40-48° th. R.) tamdiu do-

nec vesiculæ in superficie liquoris nullæ amplius appareant, id est, donec actio acidi in metallum cesset. — Dein ignem auge ad 200-210° th. Fahr. (75-78° th. R.) et sic continua per tres aut quatuor horas; tunc bulliat massa per mediam horam. Dein liquorem bullientem in vas vitreum effunde, in quo prævie 50 partes aquæ destillatæ positæ fuerint, et probe agitando misce —

Si durante coctione aut digestionem crystalli formantur, illico aqua fervida affundatur et pro re nata etiam pauxillum acidi nitrici. — Ad finem operationis hydrargyri pars in fundo maneat; vel si totum solutum fuerit, addatur portio hydrargyri.

Solutio mox dicta filtretur eique instilletur gradatim ammoniacæ, donec nil amplius pulveris nigri præcipitetur. Pulvis niger, aqua destillata frigida probe edulcoratus, per papyrum album filtretur et perfecte siccetur. Massa siccata papyro griseo duplici involvatur et pondere gradatim aucto probe comprimatur ita ut aqua omnis exprimatur. — Dein pulvis extensus super papyrum

ET SALES METALLICI. 97

gradu 70° th. Fahr. (17° th. R.) siccetur sed non majori.

Usus : Pro parandis variis compositis.

Dosis : Grana duo—sex—octo de die.

OXYDUM HYDRARGYRI luteum,
CUM SULFATE HYDRARGYRI.

Vid. Sulfas hydrargyri.

OXYDUM HYDRARGYRI rubrum.

SYN. *Calx hydrargyri rubra ; mercurius calcinatus ruber ; mercurius præcipitatus ruber ; mercurius corrosivus ruber ; hydrargyrum oxydatum rubrum. Ph. B. Mercurius corallinus ; panacea mercurii rubra ; arcanum corallinum ; pulvis principis. G. Oxide rouge de mercure.*

NB. Hoc præparatum, vulgo venale, quandoque oxydo plumbi rubro aut sulfureto hydrargyri rubro adulteratum occurrit.

℞. Nitratis hydrargyri liquidi quantum placet.

In vase vitreo ad siccitatem coque.

Massam pulverisatam expone igni moderato, spatula vitrea continuo movendo, donec fugato gradatim acido colorem læte rubrum induat massa.

Vel melius methodo FISCHER.

℞. Hydrargyri libras quatuor.

Acidi nitrici concentrati quantum satis.
Bulliant leni igne, addendo gradatim parvis dosibus

Acidi nitrici quantum opus,

Ut fiat perfecta hydrargyri solutio. Dein evaporatione abige acidum et salem hydrargyri remanentem siccum cum libris quatuor hydrargyri tere addendo pauxillum aquæ, donec globuli hydrargyri omnes perfecte disparuerint. Dein massam leni igne siccitam retortæ immitte et mox igni valido expone, eundemque continua donec massa cinerei coloris in colorem profunde nigrum vertatur (quod mediam circiter horam requirit).—Refrigeratam dein massam in pulverem subtilissimum tere; sub qua operatione colorem læte rubrum induit.

ET SALES METALLICI. 99

Usus *præcipue externus* : Ulcera syphilitica callosa aut fungosa ; ophthalmia chronica.

B. SULFURETA HYDRARGYRI.

SULFURETUM HYDRARGYRI

nigrum.

SYN. *Æthiops mineralis ; hydrargyrus cum sulphure*. Ph. L. *Hydrargyrum sulphuratum nigrum*. Ph. B. G. *Sulfure de mercure noir*.

R. Hydrargyri purificati,

Sulphuris purificati ana partes æquales.

Triturentur intime in mortario vitreo, donec globuli hydrargyri perfecte disparuerint et massa nigrum colorem assumpserit.

Usus : Lumbrici ; psora.

Dosis : Grana sex ad sexaginta de die.

SULFURETUM HYDRARGYRI

rubrum.

SYN. *Cinnabaris nativa ; cinnabaris arti-*

100 METALLA, OXYDA,

ficialis s. factitia; hydrargyrus sulphuratus ruber. Ph. L. G. Sulfure de mercure rouge.

℞. Sulfureti hydrargyri nigri quantum placet.

In vase vitreo calori leni expone movendo continue, donec colorem rubrum induerit massa.

NB. Venale sublimatione paratum quandoque oxydo plumbi rubro adulteratum occurrit.

Usus: Ad fumigationes in ulceribus aliisque morbis cutis syphiliticis. Item ad parandum hydrargyrum purificatum.

SULFURETUM HYDRARGYRI
STIBIATUM nigrum.

SYN. *Æthiops antimonialis HUXHAMI. Hydrargyrum stibiato-sulphuratum. Ph. B.*

℞. Sulfureti stibii nigri uncias duas.

Hydrargyri purificati unciam unam.
Terantur simul donec hydrargyrum perfecte disparuerit.

ET SALES METALLICI. 101

NB. Hæc massa leni igni exposita continue movendo, donec colorem rubrum induat, dat SULFURETUM HYDRARGYRI STIBIATUM RUBRUM, vulgo *cinnabaris antimonii* dicta.

Usus : Morbi cutis; amaurosis; variola; tabes infantum mesenterica; vermes; arthrodynia rheumatica.

Dosis Infantibus : Grana duo — tria :
Adultis : Grana sex — quindecim, bis die.

C. SALES HYDRARGYRI.

ACETAS HYDRARGYRI.

SYN. *Hydrargyrum acetatum.* BERGM.
Mercurius acetatus; *terra foliata mercurialis*; *Trohisce s. pilulæ KEYSERI*; *Hydrargyrum aceticum.* Ph. B.
G. *Acétate de mercure.*

℞. Oxydi hydrargyri rubri uncias duas.
Acidi acetici uncias septem,
Vel quantum requiritur, ut leniter dige-

102 METALLA, OXYDA,

rendo fiat solutio, quam leni calore evapora ad siccitatem.

USUS : Syphilis.

DOSIS : Granum unum—tria, de die.

MURIAS HYDRARGYRI.

A. MURIAS HYDRARGYRI præcipitatus.

SYN. *Mercurius dulcis methodo SCHEELÆ paratus; mercurius dulcis præcipitatione paratus. G. Muriate de mercure précipité.*

℞. Hydrargyri purificati libram semis.

Affunde in cucurbita

Acidi nitrici libram unam.

Claude orificium cucurbitæ papyro, eandemque in balneo arenæ calido pone, ut hydrargyrum solvatur. Post tres aut quatuor horas augeatur ignis, ut massa ebullitioni proxima sit, continuando eundem ignis gradum per tres aut quatuor horas; dein per quadrantem horæ massa leniter ebulliat. Hunc liquorem ebullientem gradatim af-

ET SALES METALLICI. 103

funde solutioni sequenti, in vase conico contentæ, continuo movendo massam :

℞. Muriatis sodæ, in aquæ fervidæ libris octo solutæ, drachmas novem.

Præcipitatus pulvis perfecte edulcoratus et siccatus usui servetur.

B. MURIAS HYDRARGYRI sublimatione paratus.

SYN. Mercurius dulcis sublimatus; hydrargyrus muriatus mitis. Ph. L. Mercurius dulcis; ca'omel, calomelas, calomelanos; panacea mercurialis; hydrargyrum muriaticum mite. Ph. B.

℞. Muriatis hydrargyri oxygenati uncias quindecim.

In mortario vitreo aut lapideo caute tere, alcoholis aliquot guttulas subinde inspergendo; dein adde

Hydrargyri purificati uncias duodecim.

Misce terendo, donec globuli hydrargyri perfecte disparuerint; dein in cucurbitam vitream oblongam immitte et subli-

104 METALLA, OXYDA,

ma. Massam sublimatam tere, et denuo sublima; dein in pulverem subtilissimum tere, affusa aqua destillata fervida probe lava, sicca et in vase clauso usui serva.

Usus: Physconia abdominalis; dialeipyræ rebelles; blechropyra flava; arthrodynia rheumatica; vermes; hepatitis chronica; hydrops; atrophia mesenteria; icterus; dysenteria. *Externe forma pulveris*: Ulcera syphilitica. — Adfricando gingivis etc., et internæ superficiæ oris: Syphilis. — Oculo inflatus: Maculæ corneæ.

Dosis: Grana duo — quindecim pro dosi.

MURIAS HYDRARGYRI
AMMONIACALIS.

SYN. *Mercurius præcipitatus albus*; *calx hydrargyri alba*. Ph. L. *Hydrargyrum muriaticum præcipitatum*. Ph. B.

℞. Muriatis hydrargyri oxygenati,
Muriatis ammoniacæ ana uncias octo.

Solve in

Aquæ destillatæ calidæ libris octo.

Filtrato liquori instilla

ET SALES METALLICI. 105

Carbonatis sodæ, in aqua destillata soluti,
quantum satis.

Pulverem præcipitatum lava et siccatum
usui serva.

Usus præcipue externus : Psora ; herpes,
aliive morbi cutanei.

MURIAS HYDRARGYRI
FERRATUS.

SYN. *Mercurius dulcis martialis.* HART-
MANNI.

℞. Muriatis hydrargyri partes sex.
Oxydi ferri nigri partem unam.
Simul trititando intime mixta sublima-
tioni expone.

Vel :

℞. Muriatis hydrargyri partes tres.
Muriatis ferri ammoniacalis partem
unam.
Probe trititando misce.

MURIAS HYDRARGYRI
OXYGENATUS.

A. MURIAS HYDRARGYRI OXYGENATUS,
præcipitatione paratus.

℞. Hydrargyri quantum placet.

106 METALLA, OXYDA,

Acidi muriatici oxygenati quantum
opus.

Vase clauso agita massam, ut hydrar-
gyrum in oxydum mutetur; dein decanta
liquorem, et oxydo hydrargyri in fundo
vasis remanenti affunde denuo

Acidi muriatici oxygenati quantum
opus,

Ut oxydum perfecte solvatur. Solutio-
nem leni igne evapora et ad crystallisandum
sepone.

Vel:

℞. Nitratis hydrargyri liquidi libras duas.
Instilla gradatim probe agitando
Acidi muriatici oxygenati libras tres.

Destilla lento igne, donec acidum ni-
tricum omne in excipulum transierit; dein
sepone liquorem in retorta remanentem ut
crystalli formentur.

B. MURIAS HYDRARGYRI OXYGENATUS,
sublimatione paratus.

℞. Sulfatis hydrargyri lutei,
Muriatis sodæ, igne probe exsiccati
(decrepitati), ana libram unam.

ET SALES METALLICI. 107

Misce probe terendo; deinde ex cucurbita vitrea, ad tertiam tantum partem repleta, igne initio moderato, sub finem aucto, sublima et massam sublimatam crystallinam usui serva.

QUALITAS : Venenata; caustica.

USUS *cautus* : Syphilis; morbi cutis varii.

DOSIS : Grani pars quarta ad granum dimidium de die in vehiculo.

NB. Antidotum optimum hujus veneni est carbonas potassæ in aqua solutus cum pauxillo olei olivarum; vel decoctum corticis cinchonæ aut quercus.

NITRAS HYDRARGYRI.

A. NITRAS HYDRARGYRI liquidus.

R. Hydrargyri purificati quantum placet.

Acidi nitrici quantum opus,

Ut hydrargyrum fere omne solvatur.

USUS *internus* : Syphilis. *Externus* : Ulcera fungosa rebellia. *Item* ad sales muriaticos et sulfuricos aquarum mineralium dete-

gandos; et ad parandum oxydum hydrargyri rubrum, aliosque sales hydrargyri.

B. NITRAS HYDRARGYRI crystallisatus.

℞. Nitratis hydrargyri liquidi quantum placet.

Sepone in vase aperto ad crystallisandum.

Usus idem ac præcedentis.

PHOSPHAS HYDRARGYRI.

SYN. Hydrargyrum phosphoratum. BERG.

Hydrargyrum phosphoricum. Ph. B.

G. Phosphate de mercure.

℞. Nitratis hydrargyri liquidi quantum placet.

Instilla paulatim

Phosphatis sodæ, in aqua destillata soluti, quantum opus,

Uthyrargyrum omne præcipitetur. Pulverem album sic præcipitatum, probe edulcoratum et siccatum usui serva.

ET SALES METALLICI. 109

SULFAS HYDRARGYRY luteus.

SYN. *Sulfas hydrargyri cum excessu oxydi; Turpethum minerale; mercurius vitriolatus; hydrargyrus vitriolatus; mercurius causticus flavus.*

NB. Hic sal obtinetur methodo supra sub articulo: *Oxydum hydrargyri album*, indicato.

VIRTUS: Emetica; drastica; errhina.

USUS: Morbi cutis rebelles.

DOSIS: Granum dimidium.

TARTRIS HYDRARGYRI.

SYN. *Hydrargyrum tartarizatam. BERG. Tartarus mercurialis; terra foliata mercurialis; pulvis CONSTANTINI. Pulvis mercurialis argenteus. G. Tartrite de mercure.*

℞. *Oxydi hydrargyri nigri quantum placet. Acidi tartarosi quantum opus.*

Simul coque, ut hydrargyrum solvatur; dein evapora massam et ad crystallisandum sepone.

110 METALLA, OXYDA,

Vel:

℞. Nitratis hydrargyri liquidi quantum placet.

Acidi tartarosi (vel tartritis potassæ, aut tartritis sodæ) quantum sufficit,

Ut hydrargyrum omne præcipitetur.

Vel:

℞. Muriatis hydrargyri oxygenati partem unam.

Tartritis potassæ partes quatuor.

Mixta in aqua destillata solve et lente evaporatam massam ad crystallisandum se-
pone.

Usus : Syphilis.

Dosis : Granum unum—duo, bis die.

MANGANESIUM.

SYN. *Regulus manganesii.*

Metallum fragile.

OXYDUM MANGANESII nigrum.

SYN. *Magnesium.* BERG. *Magnesia nigra;*

ET SALES METALLICI. III

Magnesia vitrariorum. G. Oxide de manganèse noir.

Venale prostat.

Usus *præcipuus* ad parandum acidum muriaticum oxygenatum. *Externus forma unguenti* (Drachma una ad unciam unam axungiae porcinae): Morbi cutis ; psora ; tinea ?

NB. Usus internus tentari meretur.

PLUMBUM, ejusque PRÆPARATA.

Gravitas specifica ad aquam ut 2,345 ad 1,000.

A. OXYDA PLUMBI.

OXYDUM PLUMBI semivitreum.

SYN. *Lythargyrium ; Lythargyrus ; calx plumbi ; plumbum calcinatum. G. Oxide de plomb demi-vitreux.*

Venale prostat.

112 METALLA, OXYDA,

QUALITAS: Venenata, vim nervosam destruens.

VIRTUS: Sedativo-adstringens.

USUS: Ad præparata et composita varia.

OXYDUM PLUMBI rubrum.

SYN. *Minium; calx plumbi rubra.*

Venale prostat.

VIRTUS et USUS idem ac præced.

OXYDUM PLUMBI album,
acido acetico confectum.

SYN. *Calx plumbi alba; cerussa; armen-
tum album. G. Oxide de plomb blanc
par l'acide acétique.*

Vulgo venale prostat.

VIRTUS et USUS idem ac priorum.

B. SALES PLUMBI.

ACETAS PLUMBI.

A. ACETAS PLUMBI crystallisatus.

SYN. *Plumbum acetatum. BERGM. Saccha-*

ET SALES METALLICI. 113

rum saturni ; sal saturni ; cerussa acetata. Ph. L. Plumbum aceticum. Ph. B. G. Acétate de plomb.

℞. Oxydi plumbi albi quantum placet.

Acidi acetici quantum opus,

Ut oxydum plumbi solvatur. Solutio effusa et evaporata ad crystallisationem seponatur.

Vel :

℞. Acetatis plumbi vulgo venalis quantum placet.

Aquæ destillatæ fervidæ quantum opus,

Ut fiat solutio, quam filtra et ad crystallisandum sepone. Liquorem remanentem evapora ad dimidium et denuo ad crystallisandum depone.

VIRTUS eadem ac priorum.

Usus præcipuus : Pro collyriis, injectionibus ; lotionibus.

ACETAS PLUMBI liquidus.

SYN. *Acetum lithargyrii ; acetum satur-*

114 METALLA, OXYDA,

ni; aqua lithargyrii acetati; solutio plumbi in acido acetoso; extractum saturni s. plumbi; extractum GOU-LARDI; acetum saturninum. Ph. B. G. Acétate de plomb liqvide.

℞. Oxydi plumbi albi (vel rubri) uncias quatuor.

Acidi acetici uncias sedecim.

Coque leni igne continuo movendo, donec papyrus, lacmo cæruleo tinctus, immisus colorem suum servet et in rubrum non mutetur; dein liquorem per subsidentiam depuratum effunde.

VIRTUS : Sedativo - refrigerans; adstringens.

USUS externus : Herpes; maculæ aut ulcuscula cutis; varix ani dolens; phlegmone; ecchymoma; arthrodynia rheumatica; cnesmus; fistula; ophthalmia; Blennorrhœa.

STANNUM, ejusque PRÆPARATA.

Gravitas specifica ad aquam, ut 7,264
ad 1,000.

LIMATURA STANNI.

℞. Stanni quantum placet.

Lima in scobem redige et usui serva.

VIRTUS : Anthelminthica.

USUS : Vermes, præcipue Tænia Solium

LINN.

OXYDUM STANNI griseum.

SYN. *Stannum suboxydatum; pulvis stanni;
stannum pulveratum. Ph. L. G. Etain
demi-oxidé.*

℞. Stanni libras sex.

In vase ferreo liqua, et agita baculo
ferreo, donec pulvis griseus supernatet. Pul-
verem aufer prout formatur, et sic continua
donec totum in pulverem conversum fuerit,
quem frige factum per cribrum trajice.

VIRTUS : Anthelminthica; drastico-cathar-
tica.

USUS præcipuus : Tænia Solium.

116 METALLA, OXYDA,
STIBIUM, ejusque PRÆPARATA.

Metallum fragile.

SYN. *Regulus antimonii s. stibii simplex, s. vulgaris; regulus antimonii stellatus; stibium purum. Ph. B. G. Antimoine.*

Gravitas specifica ad aquam, ut 6,860 ad 1,000.

℞. Frustulorum ferri puri uncias sex.

Imitte in crucibulum amplum et igne intenso urge ad candescentiam; tunc adde Sulfureti stibii nigri pulv. uncias octodecim.

Liquescant simul; dein sensim adjice, Nitratiss potassæ perfecte siccati uncias quatuor.

Dum aquæ instar fluxerit massa, effunde in conum fusorium, leniter concutiendum, ut subsidat metallum. Postquam refriguit, à scoriis separa, eique in pulverem contrito adde

Nitratiss potassæ perfecte siccati partem octavam.

Ignē forti simul liquefacta denuo in co-
num fusorium transfunde, et post refrige-
rationem metallum purum à scoriis separa-
tum usui serva.

NB. Scorix ex potassa, sulfate potassæ,
sulfureto potassæ, carbone et oxydo stibii
compositæ, serviunt ad oxydum stibii hy-
drosulfuratum rubro-fuscum parandum.

VIRTUS : Emetica; cathartica; sudorifica.

USUS : Ad præparata stibii varia.

A. OXYDA STIBII.

OXYDUM STIBII album.

SYN. *Oxydum stibii acido muriatico oxy-
genato confectum; pulvis angelicus;
mercurius vitæ; pulvis ALGAROTHI.*

G. Oxide d'antimoine blanc.

℞. Muriatis stibii oxygenati partem unam.
Aquæ destillatæ fervidæ partes sex aut
octo.

Misce. Pulvis albus ex liquore refrigerato
sponte præcipitatus, probe edulcoratus et
siccatus, in vase vitreo clauso usui servetur.

118 METALLA, OXYDA,

VIRTUS : Venenata ; emetica.

USUS : Ad varia præparata.

OXYDUM STIBII CUM POTASSA.

SYN. *Antimonium calcinatum*. Ph. L. *Antimonium diaphoreticum non ablutum* ;
stibium oxydatum album. Ph. B.

℞. Stibii,

Nitratis potassæ ana partes æquales.

Misce et pulverisata injice per vices in crucibulum amplum leviter candens ; igni expositum. Detonatione peracta massa adhuc per semihoram candescat ; tunc cochleari ferreo exempta et refrigerata in pulverem trita, vitro obturato usui servetur.

Pulvis hic ex oxydo stibii et potassa constans, aqua fervida probe edulcoratus, est *Stibium s. antimonium diaphoreticum ablutum* officinarum.

OXYDUM STIBII SULFURATUM
vitreum opacum.

SYN. *Hepar antimonii*.

℞. Sulfureti stibii nigri,
Nitratis potassæ ana partes æquales.

Triturando simul mixta immitte in cruci-
bulum, quod alio superposito luto perfecte
claudatur, et sic igni gradatim aucto expo-
sita massa simul fundatur; dein frigefacta
usui servetur.

Hæc massa aqua destillata probe edul-
corata est *Oxydum stibii hydrosulfuratum*
fusco-aurantiacum, vulgo *crocus metallo-*
rum dictus; seu species kermets mineralis,
kermete minerali ordinario plus oxydata.

OXYDUM STIBII HYDROSUL-
FURATUM rubro-fuscum.

SYN. *Hydrosulfuretum oxydi stibii fuscum*
seu rubeum; kermes mineralis; sul-
phur stibiatum rubeum. Ph. B. G.
Oxide d'antimoine brun hydrosul-
furé.

Centenarius constat circiter 72 partibus
oxydi stibii fusci; 20 hydrogenii sulfurati;
4 sulphuris, et 2 aquæ. (THENARS.)

℞. Sulfureti stibii nigri libras duas.

Carbonatis sodæ (aut carbonatis potassæ)
siccati libram unam.

Sulphuris purificati unciam unam.

Mixta et pulverisata injice in cruci-
bulum, ut igne moderato liquescant; mas-
sam fusam in mortarium ferreum effunde,
et postquam refriguit, in pulverem tere,
quem in aquæ fervidæ libris viginti coque
per quadrantem horæ continuo movendo;
dein per chartam bibulam liquorem adhuc
fervidum filtra et sepone, ut frigescat.

Refrigeratum liquorem à pulvere inde
sponte præcipitato ope *filtri* separa, eumque
sulfureto stibii residuo reaffunde, et addita
aquæ portione denuo per quadrantem horæ
coque, et filtra; hancque operationem bis
vel ter itera. Præcipitatum rubeo-fuscum,
hisce operationibus obtentum, misce, aqua
tepidâ ablue, in loco umbroso sicca et in
vase vitreo obturato usui serva.

Vel :

℞. Potassæ partes sex.

Aquæ bullientis partes viginti.

ET SALES METALLICI. 121

Bullienti liquori injice,
Sulfureti stibii nigri pulv. pondus cir-
citer vigesimum potassæ adhibitæ.

Agitando bene massam et ebullitione
per medium horæ quadrantem continuata
filtra. Prout frigescit liquor, præcipitatur
pulvis rubro-fuscus qui aqua destillata ablu-
tus et loco umbroso siccatus, usui servetur.

Liquor post depositionem hujus pulveris
remanens continet *Oxydum stibii hydro-*
sulfuratum luteum.

Usus : Expectoratio sputorum difficilis in
pneumonitide, præmissis præmittendis;
morbi pulmonum atonici, pituitosi;
morbi ex transpiratione suppressa; hy-
drops.

Dosis infantibus : Grani pars quarta ad di-
midium. *Adultis* : Granum unum — duo
bis die.

OXYDUM STIBII HYDROSUL-
FURATUM luteum.

SYN. *Hydrosulfuretum oxydi stibii au-*
rantiacum; *sulphur antimonii auran-*
tum; *sulphur stibiatum aurantia-*

*cum. Ph. B. G. Oxide d'antimoine
orangé hydrosulfuré.*

Centenarius constat circiter 68 partibus
oxydi stibii aurantiaci; 17 hydrogenii sul-
furati et 11 ad 12 sulphuris.

℞. Liquoris ex mox dicta operatione præ-
cedenti residui quantum placet.

Sensim instillando adde,

Acidi sulfurici diluti quantum satis.

Donec cesset præcipitatio. Pulvis præci-
pitatus, aqua destillata edulcoratus, coloris
corticis flavi fructus aurantii in vase vitreo
usui servetur.

Vel :

℞. Sulfureti stibii pulv. partes duas.

Sulphuris purificati partes tres.

Mixta injice per vices in

Potassæ bullientis quantum opus,

Continue movendo spatula, ut fiat solu-
tio perfecta; dein liquori aqua fervida di-
luto et per chartam colato instilla paulatim

Acidi sulfurici diluti quantum satis,

Ut fiat præcipitatio, caute vitando gaz
hydrogenium sulfuratum sub hac opera-

ET SALES METALLICI. 123

tione avolans. Post viginti quatuor horas liquor supernatans decantetur à pulvere luteo seu aurantiaco præcipitato, qui aqua tepida ablutus, dein lenissimo calore sub umbra siccatus, in vase vitreo clauso usui servetur.

NB. Oxydum stibii luteum hydrosulfuratum ab oxydo stibii fusco hydrosulfurato differt, quod hic fuscus plus oxydi et minus sulphuris, ille vero luteus plus sulphuris, et minus oxydi stibii simulque minus oxydati contineat. — Pulvis versus finem instillationis acidi præcipitatus pro maxima parte sulphure constat, et nonnisi pauxillum aut nihil fere oxydi stibii continet.

Usus: Morbi cutis; morbi ex transpiratione suppressa; morbi pulmonum pituitosi.

Dosis: Granum unum — quatuor bis die.

Pulveris ad finem præcipitati: Grana tria — sex.

OXYDUM STIBII album præcipitatum.

SYN. Pulvis Algarothi; mercurius vitæ.

G. Oxyde blanc d'antimoine.

℞. Muriatis stibii liquidi quantum placet.

Aquæ destillatæ quantum opus,
 Ut fiat præcipitatio. Pulvis albus præ-
 cipitatus lavetur, siccetur et usui servetur.
 Usus: Ad parandum Tartritum potassæ sti-
 biatum aliaque præparata.

OXYDUM STIBII album sublimatum.

SYN. *Flores argentini.* G. *Oxide sublime
 blanc d'antimoine.*

Paratur eodem modo ac oxydum zinci
 sublimatum.

OXYDUM STIBII SULFURATUM
 vitreum diaphanum.

SYN. *Vitrum antimonii.* G. *Oxide d'anti-
 moine sulfuré vitreux.*

℞. Sulfureti stibii nigri pulv. quantum placet.
 Expone in vase plano et aperto leni ignis
 gradui per quindecim aut octodecim horas,
 sæpius movendo massam, donec in pulve-
 rem griseum conversa fuerit.

℞. Hujus oxydi sulfurati grisei quantum
 placet.

ETSALES METALLICI. 125

Expone igni valido mediante folle excitato per aliquot minuta, unde in massam vitream transparentem hyacinthini coloris mutatur.

Usus : Ad præparata quædam pharmaceutica.

B. SULFURETA STIBII.

SULFURETUM STIBII nigrum purificatum.

SYN. *Antimonium*; *antimonium crudum præparatum*; *antimonium sulphure mineralisatum*; *antimonium crudum nativum*; *antimonium s. stibium sulphuratum nigrum lævigatum*. Ph. B.
G. *Sulfure d'antimoine*.

Centenarius constat circiter sulphuris partibus septuaginta quinque et stibii partibus viginti quinque.

℞. Sulfureti stibii nativi quantum placet.

Tere in mortario ferreo; dein super porphyriten cum pauxilla aqua in pulverem subtilissimum tritum immitte vasi amplo et

affunde aquam, quam sæpius agitando, pol-
line subtili gravidam, effunde. Quiescente
aqua subsidet pulvis subtilis, qui exsiccatu
usui servetur.

Pulvis grossior quem aqua sustinere ne-
quit, iterum lævigetur, et eodem modo trac-
tetur.

VIRTUS : Sudorifica.

USUS : Morbi cutis; dyspepsia.

DOSIS : Drachma dimidia — una bis die.

SULFURETUM CALCIS STIBIATUM, et
SULFURETUM POTASSÆ STIBIATUM,
Vide infra SULFURETA ALCALINA.

SULFURETUM STIBII
ARSENICATUM.

SYN. *Oxydum arsenici album cum sulfureto
stibii; arsenicum antimoniatum.*

℞. Sulfureti stibii pulv. uncias duas.

Oxydi arsenici albi pulv. unciam unam.

Crucibulo indita igne fusione jungantur
et pulverisata usui servantur.

ET SALES METALLICI. 127

USUS : Hic pulvis sub nomine : *Causticum arsenicale*, à chirurgo Londinensi LUSTAMOND inventus, cum successu sæpius adhibitus fuit in ulceribus can-
crosis et excrescentiis fungosis ulcerum phagedænicorum. Si irritabilitas et dolor vehemens adest, quandoque opium utili-
ter additur.

C. SALES STIBII.

MURIAS STIBII oxygenatus.

SYN. *Butyrum antimonii*. OFF. *Antimonium salitum*. BERGM. *Causticum antimoniale*; *antimonium muriatum*. Ph. L. *Murias stibii sublimatus*; *liquor stibii muriatici*. Ph. B. G. *Muriate oxygéné d'antimoine*.

℞. Stibii pulv. uncias duodecim.

Muriatis hydrargyri oxygenati uncias viginti quatuor.

Misce exacte trititando; et per aliquot dies sepone. Massam humidam dein ex re-
torta leni igne destilla. Liquor in excipulum

128 METALLA, OXYDA,

transiens, consistentia butyracea, vasis probe clausis usui servetur.

NB. Obtinentur sic unciæ sedecim et drachmæ aliquot muriatis stibii oxygenati. Residuum in retorta constat hydrargyro et pulvere stibii griseo.

Vel :

℞. Stibii pulv. uncias sex.

Muriatis sodæ uncias duodecim.

Mixta immitte in retortam vitream, sensimque adde,

Acidi sulphurici, æquali pondere aquæ diluti, uncias duodecim.

Destilla in balneo arenæ. Massa post destillationem in retorta remanens est Sulfas sodæ cum oxydo stibii mixtus.

VIRTUS : Summe corrodens; caustica.

USUS externus : Excrescentiæ fungosæ; verrucæ; caries. — In Staphylomate guttula penicillo oculo applicatur, injiciendo mox lac tepidum.

PHOSPHAS CALCIS stibiatus.

SYN. *Phosphas stibii cum calce s. calcareus; pulvis antimonialis.* Ph. L. *Pulvis doctoris JACOBI.* (James's powder.)

℞. Cornu cervi rasi quantum placet.

Coquē in

Aquæ quantum opus.

Donec gelatina omnis extracta fuerit.

Residuum sicca.

℞. Residui hujus siccati,

Sulfureti stibii nigri, ana libras duas.

Misce et injice ollæ ferreæ latæ, ad rube-
dinem calefactæ, et assidue agita donec
colore cinereo fuerint. Materiam refrigera-
tam in pulverem tere, et crucibulo lori-
cato immitte. Crucibulum aliud inversum,
cui parvum sit in fundo foramen, luto con-
junge. Ignem subministra, quem ad rube-
dinem sensim auge et ita acutum serva per
horas duas. Denique massam frige-
factam in pulverem subtilissimum tere.

Vel :

℞. Cornu cervi ad albedinem usti partes
quatuor.

Oxydi stibii albi partem unam.

Misce trituro in pulverem subtilissimum, quem in vase clauso usui serva.

Usus : Febres ex transpiratione suppressa ;
febres asthenicæ (ad crisin promovendam.)

Dosis : Grana quinque — octo semel, vel
pro re nata etiam bis die.

NB. Major Dosis emesin et alvum
ciet.

TARTRIS POTASSÆ STIBIATUS.

SYN. *Tartris potassæ acidulus stibiatus ;
tartris stibii cum potassa ; tartarus
emeticus ; tartarus antimonialis ; an-
timonium tartarisatum. Ph. L. Tar-
tarus stibiatus. Ph. B.*

Centenarius constat stibii partibus 38 ;
acidi tartarosi 34 ; potassæ 16 et aquæ par-
tibus 8 — seu centum partes hujus salis con-

ET SALES METALLICI. 131

tinent tartritis potassæ partes 54; tartritis stibii 54 et aquæ 8.

℞. Tartritis potassæ aciduli uncias quinque.

Oxydi stibii albi præcipitati uncias duas.

Subtilissime simul pulverisata coque leniter per mediam horam in vase vitreo cum

Aquæ destillatæ unciis viginti quatuor.

Filtera et liquorem, ad pelliculam in vase vitreo evaporatum, ad crystallisandum deponere.

VIRTUS : Emetica ; cathartica. *Refracta dosi* : Nauseans ; sudorifica ; diuretica ; antispasmodica.

Usus præcipuus : Ad vomitum ciendum.

Externus : Ulcera rebellia.

Dosis : Grana tria — sex in totidem unciis aquæ soluta. Pro ratione ætatis, irritabilitatis etc. cochleare minus vel majus omni quadrante vel dimidia hora datur donec vomitum cieat.

132 METALLA, OXYDA,
TARTRIS STIBII.

℞. Oxydi stibii albi quantum placet.

Acidi tartarosi quantum opus,

Ad perfectam oxydi dissolutionem; dein
evapora massam in balneo aquæ ad sicci-
tatem, et pulverisatam in vase probe clauso
usui serva.

NB. Hic sal simplex, et æqualis sem-
per virtutis, pro usu medico priori præ-
ferri meretur; aut si placet, ex tempore,
cum pauxillo potassæ mixtus adhiberi po-
test.

ZINCUM.

Metallum fragile.

Gravitas specifica ad aquam, ut 6,862
ad 1,000.

A. OXYDUM ZINCI album.

SYN. Calx zinci; zincum oxydatum al-
bum. *Ph. B.* Flores zinci; calx zinci
sublimata; lana philosophica; luna
fixata; cadmia fornacum purificata;

ET SALES METALLICI. 133

pompholyx præparata; tutia præparata; lapis calaminaris purificatus.
G. *Oxide de zinc blanc.*

℞. Zinci puri, in frustula fracti, quantum placet.

Injice per vices crucibulo caudenti capaci et alto, cui superponatur crucibulum aliud ita ut aëri accessus pateat, massam sæpius baculo ferreo movendo. Oxydum sublimatum album, prout formatur, exime et usui serva.

Vel:

℞ Sulfatis zinci quantum placet.

Solve in

Aquæ fervidæ decuplo.

Filtra et instilla paulatim

Carbonatis sodæ (vel potassæ) in aqua soluti quantum satis,

Ut præcipitetur oxydum zinci. Pulverem album præcipitatum, probe edulcoratum et siccatum, usui serva.

VIRTUS: Emetica; antispasmodica; adstringens.

134 METALLA, OXYDA,

USUS *internus*: Choreia; epilepsia; hysteria; aliive morbi spasmodici; ascarides. —
Externus forma lotionis, unguenti etc.: Herpes; ophthalmia palpebrarum; fissura papillarum.

DOSIS: Granum semis-unum ad quatuor cum saccharo.

SULFAS ZINCI.

SYN. *Vitriolum album; vitriolum zinci; zincum vitriolatum.* BERGM. *Sal vomitorium; gilla vitrioli; zincum sulphuricum.* Ph. B. G. *Sulfate de zinc.*

Centenarius constat zinci partibus viginti; acidi sulphurici partibus decem, et aquæ partibus quadraginta.

℞. Zinci puri, vel Oxydi zinci albi quantum placet.

✓ Solve in

Acidi sulfurici diluti quantum satis.

✓ Filtra, et evapora sub continua agitatione ad siccitatem.

VIRTUS: Emetica; diuretica; adstringens; antispasmodica.

ET SALES METALLICI. 135

Usus *internus* : Morbi spasmodici.—Sulfas zinci duas sui ponderis partes aquæ frigidæ ad sui solutionem requirit. Hujus solutionis saturatæ cochleare parvulum mane et vesperi exhibitum in pertussi epidemica Londinensi 1787 efficax inventum fuit remedium. *Externus forma lotionis, injectionis etc.* : Ophthalmia ; ulcus corneæ ; aphthæ ; ulcera ; blennorrhœa ; cynanche mucosa ; varix ani ; odontalgia, denti carioso imponendo.

Dosis interne : Granum unum - sex - octo.
—*Externe* : Granum unum - decem in uncia una vel duabus aquæ destillatæ.

SULFURETA ALCALINA.

Corpora ex sulphure et sale alcalino, vel calce composita.

SULFURETUM CALCIS.

SYN. *Hepar sulphuris calcareum* ; *hepar calcis* ; *sulfuretum calcareum* ; *calcaria sulphurata*. Ph. B.

℞. Calcis pulverisatæ uncias duas.